



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. Quæ[n]am opera diebus festis exercenda sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

& docent peccata, quæ includunt oppositionem specialem, vel afferunt impedimentum sanctificationi Festorum, ut cum reddunt hominem incapacem applicationis ad divina, ut ebrietas, quæ longo tempore privat potestate proxima vacandi rebus divinis, item seditio, &c. prohiberi hoc præcepto, & contrahere malitiam mortalem contra religionem: secus de aliis. Patres autem supra citati videntur posse intelligi de fine præcepti, vel de sensu ejus mytico.

Q. 4. *Quanam opera diebus Festis exercenda sunt?*

*Resp.* I. Generatim opera Religionis, Pietatis, & Charitatis, ut sunt interesse officii divinis, Missæ, & Vesperis, orare, piè meditari, libros spirituales legere, audire conciones, sacramenta suscipere, visitare infirmos, & carcere detentos, &c.

Prob. 1. Ex Deut. 5. *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum.* Hoc verbo, (inquit Catech. Rom.) *Ostenditur Sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, & sanctis rerum Officiis consecratum. Itaque diem Sabbati tum plenè, & perfectè celebramus, cum pietatis, & religionis Officia Deo prestamus.* Dies autem Dominica substituta est ab Apostolis Sabbato cum obligatione eam sanctificandi, ac co-

Ll s lendi



lendi Deum, & Ecclesia alios Festos dies cum eadem obligatione instituit. 2. ex Nicol. 1. ad consulta Bulgar. c. 10. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum &c. 11. Idcirco in diebus Festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus, & ex Constit. 5. Pii V. Antiquorum Canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes in diebus praefatis (Festivis) Ecclesias frequentent, divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profana negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. 3. Ex multis Conciliis praecipientibus, ut fideles doceantur diebus Festis qui Dei cultui dicati sunt, vacandum esse divinis Officiis, concioni, & piis operibus, & ex Catech. Romano, qui ait: *Parochus diligenter doceat, quibus in operibus, & actionibus Christiani diebus Festis exercere se debeant.* Tum varia opera Religionis, & Charitatis supra dicta recenset. 4. Quia solidus dies sanctificandus est: ergò non solum matutinis, sed etiam pomeridianis horis Deo vacandum est. *Debet ergo die Festo insi-*  
*sti*



*si operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinarum, lectionis, & eleemosynis, & hujusmodi.* ait S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 7. §. 4. addens, quod abstinere quidem ab opere servili, & Missam audire sit in præcepto obligante sub mortali, non tamen vacare Deo pro majore parte diei, quamvis non sic vacare peccatum sit, scilicet veniale. Quare Rituale Tullense docet fideles non posse sine legitima excusatione ab esse à Vesperis. Enimverò pomeridianum tempus sanctificari debet per illarum auditionem; ideò enim ubique solemniter diebus Festis canuntur, & ad illas populus convocatur.

*Resp.* II. Speciatim omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut constat ex sensu, praxi Ecclesiæ, & ex variis Conciliis. Imò omnes Jure divino & naturali, supposita institutione hujus unius Sacrificii, tenentur sæpe in vita interesse Missæ Sacrificio; quia jure naturali tenentur Deo supremum cultum internum & externum sæpe exhibere per Sacrificium ab ipso institutum. Unde Ecclesia solùm determinavit tempus, & addidit aliquas preces ac Cæremonias sacras, ut dignè ac devotè celebretur.

*Q. 5. Quenam requiruntur ad implendum præceptum auditionis Missæ?*

*Resp.* *Sequentia.* 1. Ut audiatur Missa  
inte-